



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

IV. Bischof Luder von Verden bestätigt dem heil. Geist-Hospital in Perwer  
das Wahlrecht seines Seelsorgers, im Jahre 1242.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

nostri dilecti domini Conradi, Archidiaconi de Osterwolde, fundum ciuitati Soltwedele et Peruer adjacentem ad edificationem hospitalis spiritus sancti et refectionem pauperum Christi liberum cum omni iure contulimus ac ipsam donationem stabilem perpetuo volumus permanere. Nos igitur considerata pia intentione nec non deuotione magnifica principum memoratorum, ut donatio, quam sinceritas adimpleuit, pauperibus in predicto loco degentibus fiat quo ad temporale subsidium fructuosa, ita ut temporalibus aduti subsidiis ad eterna intendant facilius et adspirent; Auctoritate a Deo nobis concessa donationes principum prefatorum priuilegio nostro, sicut pie et iuste facte sunt, prememorato hospitali confirmamus sub anathematis interminatione districte inhibentes, ne quis jam dictum hospitale in possessionibus iniuste impediat vel impetat, sicut districtam ecclesiasticam sententiam velit et etiam examinis euitare.

Gercken's Diplom. I, S. 279. 280.

Beckmann's Beschreibung V, I, III, Sp. 76. 77.

### III. Die Markgrafen Johann und Otto legen der Kirche und dem Hospital in Perwer das Recht bei, sich einen Geistlichen zu erwählen, am 19. September 1241.

Johannes et Otto, Dei gratia Marchiones de brandenburg, omnibus hoc scriptum inspicientibus salutem. Quoniam ea, que fiunt in tempore labenti, citius defluunt cum tempore, nisi lingua testium robur adhibeat aut scriptura. Hinc est, quod ad omnium peruenire uolumus notitiam, quod ad instantiam miserabilium infirmorum et ad permissionem prepositi in saltwedele ecclesie in perwer concessimus libertatem, nec non predictis infirmis ibidem commorantibus, electionem sacerdotis, qui in eis, que ad sollicitudinem ipsorum spectant, tantum eidem provideat in diuinis, iure parochiali predicto preposito ac successoribus suis per omnia reservato, si quem sacerdotem habuerint, in nostram tuitionem ac defensionem recipientes. Sed ne hoc factum nostrum a quoquam valeat in posterum infringi, presens scriptum sigillorum nostrorum munimine duximus roborandum. Datum saltwedele, anno gracie M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XLI<sup>o</sup>, XIII<sup>o</sup>. Kalend. Octobris. Hiis interfuerunt honorabiles viri Thidericus, prepositus loci ejusdem, Albertus, Notarius, Johannes, plebanus de Osterborch, Vlricus de Snetlinken, Hartmannus, Aduocatus, et alii quam plures.

Nach dem Originale des Salz. Archives XL, 16.

### IV. Bischof Luder von Verden bestätigt dem heil. Geist-Hospital in Perwer das Wahlrecht seines Seelsorgers, im Jahre 1242.

Luderus, Dei gratia Verdenfis Episcopus, omnibus hanc literam inspecturis salutem in domino. Petierunt a nobis infirmi Ecclesie in perwer, ut facto et libertati, quam de consensu prepositi Thiderici de Saltwedele, circa eos fecerunt Johannes et Otto, marchiones

de Brandeburch, nostrum dignaremur adhibere consensum, et per sigillum nostrum et literas confirmare. Cujus libertatis et ordinationis tenor hic est: Johannes et Otto etc. (Urk. No. III.) Nos autem piis ipsorum moti precibus ordinationem eandem ratam habentes, presertim cum rationabiliter facta sit, nostrum adhibemus consensum, et per sigillum nostrum et presentes literas confirmamus. Datum Lüneburch, Anno gracie M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XLII<sup>o</sup>. Pontificatus nostri Anno vndecimo.

Nach dem Originale des Salz. Archives XL, 17.

V. Die Markgrafen Johann und Otto verleißen der Neustadt Salzwedel die Rechte der Altstadt gewisse Freijahre, einen Richter und vereigenen ihr die ihr von ihren Gründern überwiesenen Ländereien, am 2. Juli 1247.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Johannes et Otto, dei gracia Marchiones Brandeburgeses, omnibus in perpetuum. Ea, que geruntur in tempore, pretereunt cum eodem, nisi aut uoce uiuacis testimonii uel scripti memorie commendentur, unde perpetue soliditatis obtinere valeant firmamentum. Nouerint igitur presentes pariter et posterius, presentem paginam inspecturi, quod nos nove civitati nostre in Saltwedele liberaliter concedimus et donamus omnia jura et constitutiones, que habet antiqua civitas, et huc usque dinoscitur habuisse, ita quod ipsa nova civitas eisdem jure gaudeat libere et quiete. Preterea ipsi civitati ita duximus indulgendum, quod Advocatus noster, quem ipsi civitati pro tempore statuerimus, quando iudicio presidebit, secundum quod a Consulibus eiusdem civitatis sententiatum fuerit, iudicabit, easdem sententias omnimodis prosequendo. Ad hec volumus, ut quicumque ad ipsam novam civitatem confluerint, rustici teutonici sive sclavi, sub nobis uel sub quocumque manentes, coram iudice civitatis eiusdem astent iudicio coram eo de hiis, quibus inculati fuerint, responsuri. Eidem etiam civitati ad sue foundationis supplementum octo annorum, a festo beati Jacobi nunc uenturo, terminos indulgimus libertatis. Cujus libertatis tempore durante, ipsi civitati similiter indulgimus, ut si quis civium ipsius aliquem hominem nostrum, militem sive servum, duxerit inculandum, si is, qui inculandus fuerit, ad nostram pro eo nolet accedere presentiam responsurus, fidelem nostrum Aluericum de kerkow constituimus iudicem super eo, volentes, ut quisque hominum nostrorum coram ipso respondeat, prout vice nostra sententiatum fuerit coram ipso. Quod si ipsum Aluericum de seculo decedere contigerit, in successore hujus iudicii ipsi civitati providebimus, prout nobis et ipsi civitati videbimus expedire. Insuper quascunque areal sive prata, que incolis dicte civitatis a Helmwico de malestorp, et Bernardo, fundatoribus civitatis, fuerint ratione hereditatis assignata, ea nos eisdem proprietatis titulo conferentes, rata omnimodis volumus permanere. Constituimus preterea, ut dies fori, qui in antiqua civitate qualibet secunda feria consuevit haberi, deinceps alternis hebdomadibus in utraque civitate habeatur, ita quod in secunda feria unius hebdomade in antiqua civitate forum modo debito observetur, et in subsequenti secunda feria in nova civitate fori confluentia habeatur, hunc ordinem perpetuo observantes. Ut igitur hec nostra donatio inviolabilis observetur et ne quis in posterum super eo materiam adinueniat cavillandi, presentem paginam super eo conscribi iussimus, sigillorum nostrorum appensione firmiter communitam. Huius autem rei testes sunt fideles nostri, Aluericus de Kerkow, Gerhardus, Ludouicus et Fridericus, filii ipsius, Fridericus de Bertekow,